Legati nostri Electorales ad feuda Palatina
occupanda in vicinia vestra nunc versan-
tur: una cum aliis hæreditatis utinam res si-
ne motibus benè abeat. Felices dux Bernhar-
dus Auctenus in bavaria moratur cum D. Loffenio
hero suo, cujus adventus hâc septimana hîc expe-
ctatur. Feliciter vale. Heidelb. ipso Paschatis 1609.

T.T. D. Pareus.

100. M. Rudolpho Goclenio Marpurgum

S.P.

Ego verò, clarissime D. Goclene, nullus dubito,
quin tibi, licet hominis ignoti, hæc προσφώνη-
σις sit grata futura. Tua enim singularis
φιλοσοφικὴ καὶ εὐτραπελία, quæ in scriptis
tuis doctissimis clarissimè lucet, et quam à
multis iam praedicari πολλάκις prædicari audi-
vi, ἄλλως ἐνθεωρεῖσθαι haud patitur. Spes no-
bis, illustriss. Landgravio Ludovico vita
defuncto, affulsit certissima Academiæ Mar-
purgensis fermento Ubiquitario purgan-
dæ et pristinæ ὀρθοδοξίας in eam revocandæ.
Quando de pietate et zelo illustrissimi Land-
gravii Mauritii toti mundo constat. Hâc
igitur spe fretus author suasorque doctissimo
huic juveni, Rudolpho Schwartzenbachio, Ec-
clesiæ nostræ τροφίμῳ extiti, ut sese ad vos
conferret. Quapropter te etiam atque etiam
rogo, ut eum tua humanitate ita complectaris,
ut intelligat se suo bono consilium meum se-
cutum fuisse. Nostræ res ὑπὲρ εὐδοξίας cum no-
stri foederati duro Hispanico iugo exempti et
patriæ libertatis prodigi nihil non fere [illegible]

videantur, quod ad exitum nostrum spectat. Deus orandus, et si fieri possit, exorandus, ut mala impendentia avertuntur. Plura non possum: cum tabellio urgeat abitum. Deum oro, ut tuos vigilantius benedicat. Tu vale, fave, vive Charissime vir. Tiguri 8. April: 1609.

T. colens et amans
Marcus Beumlerus.

Johanni Brantio D. Marcus 101.
S. P.

Non possum satis mirari imprudentiam Cutsenii Apostatae, qui tanta protervia scabiem suam nullis non africare studet, nempe ut ulceri perfidiae suae aliquod emplastrum paret. Doleo sane hominis pervicacem malitiam, qua sese magis ac magis tristior futurum declarat. Filium tuum non dissimilibus naeniis tentavit, sed interceptas D. Scultetus mihi tradidit, neque n. consultum visum in ejus manus ut pervenirent. Nobilem quoque Rechenbergium, quem in Gallia dementaverat, sollicitare non cessat, et certe non parum perturbat, ut vix satis scrupulis iniectis eum liberare in dies queam. Quae res parentem ejus primariae authoritatis nobilem non parum quoque anxium habet. Nunc quanto astu teipsum aggreditur hic serpens? Equidem facile erat vel tyroni impudentissimas nugas retundere, quas de praedestinatione, de praeceptis et lege Dei, de fide sola, de justificatione prima et secunda, de auriculari confessione et absolutione ad te inescandum laboriose congessit. Sed nec novae illae sunt, imo millies prolatae; nec ipse dignus, ad quem verba tu multa facias. Et quia consilium meum petis, en mitto exemplum responsi, quod si placuerit homini, mittes. Tuum fuerit addere, demere, mutare pro lubitu. Nihil certe habet ille, quod non breviter attigerim: Simul conscientiae vulnus tetigi, si forte dolore perculsus ad saniorem mentem redeat, nec vereor, ne